



8844

1774, 61.

EXERCITATIO IVRIDICA

SPECIMEN II.

Observationes singulares

ad Pandectarum lib. I. tit. IV. et V.

continens.

19

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET
ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XV. APRIL. MDCCLXXI.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES ADAMVS MVLACKIVS

BVDISS. LVSAT.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

EXERCITATIO IVRIDICA

SPECIMEN II

Observationes singulares

ad Pandectarum lib. I. tit. IV. et V.

continens

quatuor

ILLUSTRATORVM ORDINIS AVCTORITATE

T. L. A. E. S. I. E.

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

OD. P. ECCLES. CATHED. MARTIN. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVBIVMARIENSIVM. INTERIOR.
REGNO SVBIVMARIENSIVM. ABBAT. SVBIVMARIENSIVM.
ACADEM. SVBIVMARIENSIVM.

IN AVDITORIO LECTORVM

D. XV. APRIL. MDCCCLXXII.

PUBLICE DEFENDET

IOANNES ADAMVS MALACKIVS

AVDIT. CVRIAE

L. L. S. I. A. E.

EX OFFICINA LANGENHEIMIA.



AD LIB. I. TIT. IV.

DE CONSTIT. PRINCIP.

OBSERV. I.

Non datur distinctio inter privilegia favorabilia et odiosa, sed omnia insimul favorem et odium continent.



Communiter dividere solent privilegia in favorabilia et odiosa, illa quae favorem personae vel rei, haec vero, quae odium inuoluunt, dicunt. Fundamentum ita diuidendi, *Enenkel. de priv. iur. civ. legibus duodecim tabularum non fuisse incognitum* adfirmat, quid

A 2



quid quod ipse Cicero populiscitum de demolienda domo, quod satis erat odiosum priuilegium, dixerit. Confirmare et eorum sententiam videntur verba Iustini-
 ani §. 6. *I. de Iur. nat. gent. et ciu.* Nam quod alicui ob meritum indulget, vel si quam poenam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non transgreditur. Sed constantissime nego, quod ex hac lege probari possit sententia. Intentio enim Imperatoris ea fuit, vt confirmet assertum Pauli *l. 16. ff. de legibus*; id nempe quod contra rationem iuris receptum, non esse producendum ad consequentias. Et ne dubium remaneat, demonstrat. Imperator, nihil interesse, vtrum fauor, vel odium concurrat. Alioquin si contraria placeret sententia, verba vltima, *vel si cui sine exemplo subuenit*, nouam constituerent speciem, quod tamen iure defendi non poterit. Quae cum ita sint, veriore putamus sententiam, omnia priuilegia siue personam, siue rem concernentia, in se continere odium et fauorem, neutrum vero ita comparatum esse, vt separatim odiosum, vel fauorabile dici queat. Consideres quae legem exorbitantem v. *C. ad leg. Iul. Maieft.* summum equidem comprehendit odium, extendit enim Imperator delictum patris ad liberos, eosdemque poena afficit, quod principiis iuris naturae secundum quod delictum manet suum auctorem, nec liberis factum illicitum patris poenam irrogat, penitus repugnat, ast nihilominus huic



huic legi inest fauor, prospicit enim reipublicae, et ne
saluti publicae, cui omnes obtemperare tenentur immi-
neat praecipuum, poenam exasperat.

OBSERV. II.

*An priuilegia in dubio pro realibus vel personalibus
habenda sint, ex causa quae Principem ad
legem hanc ferendam impulit, vnice
dependet.*

Miror sane sententiam Gallii et aliorum, qui in-
ter priuilegia titulo oneroso et gratioso concessa distin-
guunt, et illa in dubio pro realibus, haec vero pro per-
sonalibus agnoscunt. Non video quid efficiat titulus,
cum is tantum ad accidentalibus pertineat, essentiale ex ad-
uerso priuilegii in voluntate Principis consistat. Et
quis quales Principis liberalitati fingere potest limites,
cum eius indulgentia arbitrio subditorum minime subiac-
ceat, si vera sunt quae dixit Iauolenus *l. 3. ff. de const.
Princ. beneficium Imperatoris, quod a diuina scilicet indul-
gentia profiscitur quam plenissime interpretari debemus.*
Potius cum priuilegium efficiat legem, haec vero vo-
luntate superioris nitatur, in diiudicanda priuilegii qua-
litate ad id est respiciendum, vt de mente constituentis
constet, vel ex praesumptionibus veritati prope accedenti-
bus possit colligi. Quod optimo fit iure, si considere-
mus



mus causam, quae Principem ad promulgandam legem commouit, et interpretationem menti superioris convenientem, praebet. Quod si igitur personae qualitas impulit Principem, ut liberalis existat, priuilegium erit personale nullo habito respectu, vtrum priuilegiatus id titulo oneroso vel gratuito adquisuerit.

OBSERV. III

Priuilegia non solis subditis, sed et aliis, respectu quorum non deficit effectus, dantur.

Non consentientem me habebit Titius in iure privato lib. I. cap. XI. §. 19. qui priuilegia non ad leges referri posse, sed potius legis esse effectus, adserit. Aut enim negat, priuilegium esse constitutionem Principis, aut lusum verborum intendit. Illud ab eo vix est credendum, cum principia iuris contrarium doceant, hoc parum efficit, cum effectus semper testetur de causa, nec datur legis effectus nisi princeps ita iubeat, voluntas vero Principis constituit notionem legis. Nec obstat, quod priuilegiatus a priuilegio, quatenus eius fauorem concernit, recedere quaeat, hoc enim saepiuscule salua notione legis contingit, et Princeps arbitrio alterius reliquisse, praesumitur; vtram beneficio uti velit nec ne. Quis quaeso negabit, SCtum Velleianum esse legem, nihilominus tamen foemina huic renunciare et cum



cum effectu intercedere potest. Quae cum ita sint, mo-
vetur dubium, vtrum priuilegium solos subditos, vel
alios quoque stringat. Regulam si sequimur, prior ob-
tinet sententia, lex enim imperat et determinat actiones
nostras, hoc vt personae quibus per poenam violatio
voluntatis iniungitur, imperio superioris sint subiectae,
requirit, cum vero id de extraneo dici nequeat, ap-
plausum promereri videtur assertum, priuilegium nemi-
nem, nisi subditum tangere. Ast quoniam priuilegia
sua natura a regula iuris communis recedunt, et ius sin-
gulare constituunt, circa personam quoque cui dantur
exceptionem eandem qua ex mente concedentis, qui
exitum voluntatis suae intendit, defendimus. Ponas
casum, Principem saxoniae dare legem, vt persona ex-
tra territorium constituta si transuehantur merces, a ve-
tigalibus sit immunis, vel maiora vectigalia, quam in
regula mercibus imposita sunt, praestet, non ne hoc
est priuilegium, contra communem enim iuris tenorem
datur. Quis vero huic priuilegio negabit effectum,
quamuis is, in cuius gratiam datur, personam subditi
minime repraesentat.

OBSERV. IV.

Priuilegia immemorali praescriptione non adquiruntur

Non equidem me fugit sententia eorum, qui prae-
scriptioni immemorali effectum tribuunt, vt regalia
qua-



quatenus personae maiestaticae non cohaerent, sed ab eadem separari possunt, sibi adquirat subditus. Confiteor quoque, hanc opinionem in foro triumphari, et in praxi pro recepta haberi, imò etiam ad priuilegia extendi. An vero conueniat iuri, merito dubito. Omnis nempe praescriptio inuoluit poenam. Punimus, etenim dominum qui negligens fuit, et intra tantum temporis spatium rebus suis non inuigilauit, hinc Iustinianus, cum videret tempus ad excludendum dominium antiqua lege constitutum dominis ad inquirendas res suas non sufficere, noua Constitutione ne domini maturius rebus se defraudatos sentirent alium terminum esse voluit, conf. *Pr. l. de usu cap.* At quis principem accusare, eidem negligentiam imputare, vel poenam irrogare poterit, cum leges quae ex eius voluntate subditos stringunt, ipsum non tangant. Superiorem etenim legibus a se latis solutum esse, et normam viuendi constitutam sua auctoritate rursus posse tollere, nemo negabit: hoc praesupposito effectus immemorialis praescriptionis penitus cessat. Nec contrarium inuenies *l. 4. C. de legib.* in qua *Theodosius* et *Valentin.* asserit, dignam esse vocem, Maiestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri: Verba enim adposita et reuera maius imperio est submittere legibus Principatum et oracula praesentis Edicti quod nobis licere non patimur aliis indicamus; non dispositionem certam sed consilium tantum suafor-
um



um suppeditant, quod arbitrium Principis minime excludit. Obstare forsitan videtur cap. 5. X. de V. S. *Praeterea ait Pontifex. cum Pedagia, Gvidagia salinaria tibi legatus interdixerit memoratus, auctoritate Apostolica duximus declarandum, illa esse Pedagia, salinaria gvidaguia inderdicta, quae non apparent Imperatorum, vel Regum vel Lateran. concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine cuius non extat memoria, introducta.* Sed nihilominus salua est causa, non enim in genere probat Pontifex contra regalia valere praescriptionem immemoriam, sed quaedam tantum eidem subiecta esse disponit, vnde liquido apparet, praescriptionem immemoriam contra regalia in tantum valere, in quantum Principis indulgentia eandem permittit. conf. Thomaf. *dissertatio de praescript. regal. ad iura subdit. non pertin.*

OBSERV. V.

Priuilegia legitime concessa non possunt reuocari nisi casus publicae utilitatis obueniatur.

Eatenus equidem omnes ferme consentientes habeo, quod priuilegium titulo oneroso acquisitum pro lubitu reuocari nequeat; cuius ratio potissimum haec est, quod Princeps quando cum subditis contractum init, loco prinati habeatur, adeoque in ipso tam arctum obligati-

uovi

B

gati-



gationis vinculum nascitur, vt non aliter, nisi alterius contrahentis consensu obligatio tollatur. Ast de gratiosis aliis ipsis placet sententia, eademque pro lubitu, ex ratione, quoniam a sola gratia Principis dependent, revocari posse, censent. conf. *Ludov. in doctrin. Pandect. ad b. t. §. XI.* Sed nullam re melius perspecta inuenio rationem, cur circa priuilegia gratiosa exceptio a regula sit statuenda. Omnia etenim priuilegia mihi dicuntur gratiosa, cum hoc sit beneficium, vt princeps cum subdito contrahat, eidemque prae aliis contra communem iuris tenorem aliquid concedat. Et si etiam concederem priuilegia gratiosa speciem donationis continere, verum tamen est, donationis eum esse effectum, vt ius tali modo in alterum translatum pro lubitu donantis non possit reuocari. Hac ex causa Callistratus *l. 5. ff. de decret. ab ordin. faciend.* Quod semel ordo decreuit, non oportere rescindi Nicomedensibus rescripsit: neque quod vna manu concessum per alteram quasi auferri potest. Cui accedit, quod priuilegium ita semper sit interpretandum ne commodo per illud quaesito priuilegiatus excidat, quod tamen si huic sententiae daremus locum non esset euitandum. Ponamus casum; Principem Caio ex gratia concessisse, vt Ludouici Pandectas vel alium librum, exclusis reliquis ciuibus solus vendat, eum in finem Caius haud exiguam librorum molem sibi comparauit.

Non



Non negabis Caium ingens sentire praeiudicium, qui, si reuocatio priuilegii pro lubitu valet, distrahendi libros non pollet facultate, et patrimonii diminutionem, in quam inuitus detruditur sentit. Hanc ob causam, cum illud aequitati, quae Princeps, qui sceptrum maiestatis tenet, curae cordique est sumopere aduersetur, ut opinionem vulgarem respiciamus necessitas desiderat. Alia vero est facies, si concurrat necessitas vel utilitas publica. Haec enim tantam efficaciam producit, ut omnia priuilegia, siue dicas oneroso siue titulo gratioso adquisita, reuocationem patiantur, dummodo considerare velimus, salutem reipublicae esse supremam legem, cui omnes ciues, cum utilitas publica priuatorum commodis sit praefenda obtemperare tenentur, et Principem in concedendo priuilegio casum superuenientis utilitatis publicae semper excipere voluisse praesumimus. Quam ob causam ciuis, quem liberum ab in hospitalione pronunciauit Princeps, tempore belli si necessitas aliud desiderat, nullam patitur immunitatem, cum nec Clericus cui sumopere in hac parte fauent leges nec eo tempore vacatorem sentiat conf. Wernhi P. V. observ. 242.



OBSERV. I.

Diuerſa iura quae foeminis et masculis competunt, non certe sunt determinanda, sed tota causa dependet ab arbitrio cuiuscuiſcunque Principis.

Ex ſtatu, quo perſonae gaudent diuerſos provenire effectus non negamus, ſive conſideremus eos ex lege naturali ſive civili. Vtrum vero praerogativas quae aut masculis aut foeminis tribuimus, ſatis ſint determinatae, merito dubitamus. Conſulari equidem foeminae, Conſularem virum praefendum eſſe Ulpianus *l. 1. de ſenat* teſtatur, et a muneribus publicis excluſas eſſe foeminas *l. 2. ff. de Reg. iur.* probat. Sed id noſtram non deſtruit ſententiam, potius eandem confirmat. Cum enim circa conditionem maſculorum et foeminarum in conſequendis hiſce dignitatibus anceps eſſet iudicium, et an detur differentia dubium oreretur, ICTus diſcrimen conſtituebat, ſecundum quod decifio cauſae ferenda. Cuius rei illuſtrandae cauſa haud exiguum efficit argumentum, quod leges ſaepiuſcule quoque hiſ illis, praetulerint. Hinc Iuſtinianus in *l. 4. C. de liber. praeter*: antiquae ſubtilitatis vitium vti ipſe confi-



constitetur, corrigens, in successione parentum masculorum pariter quam foeminarum iura aequalia esse, constituit, cum leges in successione ab intestato simile ius, utriusque sexui seruauerint. Et in *l. l. C. de mulier: et in quo loco: ad honores et munera admissas esse foeminas constat: ait enim Imperator: Eam quae aliunde oriunda alibi nupta est: si non in urbe Roma maritus eius consistat, non apud originem non suam, sed apud incolatum mariti, ad honores seu munera quae personis cohaerent quorumque is sexus capax esse potest, compelli posse saepe rescriptum est.* Quibus praemissis certam regulam praerogatiuas constituentem penitus deficere et arbitrio Principis, qui lege determinat actiones subditorum solummodo esse relinquendum quae iura huic vel illi sexui attribuere velit, colligimus.

Non datur pugna inter l. 15 ff. de statu hominum et l. 135. ff. de Verb. signif.

Ait Paulus *l. 15. ff. de statu homin.* Non sunt liberi, qui contra formam humani generis conuerso more procreantur. Huic contradicere videtur *Ulpianus l. 135. ff. de Verb. signif.* qui huic partui effectum aut pro fit parentibus, tribuit, ex quo ut imitar



liberorum habeantur monstra, forsan colligi possent. Sed si rite perspexeris utramque legem, nihil inuenies, quod antinomiam mouet. Obtinet regula, quam Paulus proponit, nec Ulpianus ab hac recedit, sed tantum succurrit matri, ne ex fatali hoc casu poenam orbitatis, quae lege Papia erat constituta, sentiat: quod indicant verba. Et magis est, ut haec quoque parentibus profint, nec enim est quod eis imputerur, qui qualiter potuerunt statutis obtemperauerunt, neque id quod fataliter accessit matri damnum iniungere debet. Inadaequata igitur est sententia eorum, qui credunt monstra ex mente Ulpiani prodesse matri ad consequendum ius trium liberorum, ut possit succedere. Non enim agitur de praemio, quod sibi vindicat mater, sed de vitanda poena lege antiqua determinata.



Leipzig, Diss., 1771 Lz

ULB Halle

005 108 616

3





8844

1774, 61.

EXERCITATIO IVRIDICA
SPECIMEN II.

*Observationes singulares
ad Pandectarum lib. I. tit. IV. et V.
continens.*

Q V A M

19

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAE
IN PROVINCIA SVPREMAE IVDIC. LVSAT. INFERIOR.
NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET
ACADEM. DECENV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XV. APRIL. MDCCLXXI.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES ADAMVS MVLACKIVS

BVDISS. LVSAT.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

Farbkarte #13

B.I.G.